



## **Patrocinium Defvictorvm**

**Hautin, Jacques**

**Leodii, M.DC.LXV.**

§. 2. Quàm horridus sit piis Manibus carcer lustralis, si orco sit conntinuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

## Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 25

Cum enim, & illius altitudo, & tenebræ, & arctitudo saxea etiam pectora ad commiserationem eorum flectere possint, ac debeant singula, quanto promptius, fortiusque univèrsa. Certè dum catenæ Neapolim adventant ( sic reos insignes vocitant, qui ex toto Neapolitano Regno vinciti Neapolim mittuntur ) id infelicitis spectaculi plerisque commovet ad misericordiam in nefarios licet, & profligatæ vitæ nebulones.

83.  
Exemplo  
Patris Ca-  
rasæ, &  
aliorum.

Et R. P. Vincentius Carasæ Societatis JESU, vir sanctimoniam pariter, ac genere perillustri, cum nobilium Equitum Soldalitia D. Virgini sacro, prælatâ Cruce, cantandas inter Litanias, dux, & princeps agminis obviam miseris ex affectu miserationis ibat, deductisque in grandiolem Vicarii aulam, pedesque lotis opiparæ mensæ demum accumbentibus cum iisdem Equitibus famulabatur, tum appositâ ad pœnarum carcerisque patientiam orationem confirmabat. Denique aliqua stipe donabat. Quid Josephum Patriacham è cisterna, Jeremiam Vatem è luto, ubi solo capite extabat; Sedeciam è carcere Babilonio hostium ipsorum commiseratione eductos loquar? An par est parentes, fratres, atque amicos in horrido illo Purgatorii carcere non modò deferri, sed & omni ope à nobis destitui? An non carcerem, ac vincula meretur, qui spretis, naturæ, amicitiaque vinculis, suos è tam infelicit custodia, quod facile potest, non asserit? Ergo Christiani preces, stipem ac sacrificia cumulate: vel funes sunt, vel lytrum, queis captivos vestros vindicetis: ô! tam opratis benevolentia vinculis eos devincite: vobis æternum obstricti manebunt: tam pretioso & necessario lytro redimite, vestri semper erunt, etiam cum in cœlo regnabunt. Denique quo licet pacto illos tam molesto carcere liberate, cœlestia patetia vobis referabunt.

§. 2.

*Quàm horridus sit piis manibus carcer  
lustralis, si orco sit continuus.*

QUAM QUAM censuimus expiatoria loca orco contigua fortasse, certè quidem non esse continua: res tamen in ancipiti esse non desinit; præsertim cum contraria sententia authorem laudet Divum Thomam, ejusque assecelas permultos numeret. Quamobrem tamquam probabilis, & forsitan vera, non leve pondus addit animarum ærumnis. Igitur eâ positâ, tria nobis expendenda, locus, so-

cietas, & dæmonum hominumque damnatorum in Deum maledicta, quatenus pios manes affligunt.

Locus profectò ejusmodi nimium quantum eos cruciet, necesse est. Cùm enim cœli sint candidati, & decreti cives, neque eo jure excidere ullo modo possint, fieri nequit, quin acerbissimum illis sit in orci faucibus collocari. Quid enim hoc aliud, quàm eodem ergastulo, quo rei læsæ divinæ Majestatis extremis suppliciis torquentur, concludi; atque ad eò Numinis amicos, sponsas, ac filios in invisio hostium ipsius immortalium carcere attineri? Si pater quispiam moratum alioqui, generosumque filium, leves ob culpas extrahi è domo paternâ, & à lictoribus trahi juberet ad publicum prædonum carcerem, quàm esset id tormenti genus dedecorosum illi, atque acerbum! Si virgo nobilis ac pudica ob offensum leviter sponsum juberetur abs eo trudi in sagarum incendio adjudicatarum ergastulum: quàm hoc illi foret pudendum! Quid hæc memoro? nam si amicus ab amico non graviter læsus in judicium eum vocaret, durissimum ac intolerabile esset illud probrum, non modò si compingi vellet in carcerem; quàm durum esse oportet piis animis, filiis, inquam, ac sponsis, & quidem Deo amicissimis in dæmonum carcerem ablegari? Certè quantum præstat, filii, sponsæ, atque amici Numinis dignitas, filiis, sponsis, atque amicis hominum, & quanto acerbior est erebi carcer carceribus hujus vitæ, tanto gravio-rem esse hoc in genere necesse est, piorum manuum dolorem hinc perceptum, dolore filiarum, ac sponsarum mortalium: maxime, cùm in unicam animam, triplex ista dignitas cadat, amici, filii, ac sponsæ Dei. Itaque nullum in terris dedecus par illi excogitari potest. At parum hoc. Siquidem haud scio an damnatorum hujus generis probrum nonnullâ saltem ratione non vincat. Nam hi sanè cœlo indignissimi sunt, mancipia sunt, orci victimæ sunt, cùm igitur orco mancipantur, cùm remotissimo à cœli regiâ locotenantur, cùm in hostium Numinis barathrum detruduntur, parum, aut nihil probri illis accedit. Verùm animis cœlum commeritis, atque Dei filiis, ac hæredibus eodem deturbari velut è cœlo, quò caritas, & gratia divina eas vocabat, id verò probrum omnium maximum esse censendum est. Quamobrem cùm innumeræ, longissimæque lites, cùm etiam plurima duella, bellaque suscipiantur pro tuendâ loci dignitate, cum eâ de- jecti non paucis morte asperius sit: cogitate ô Christiani! quàm dolendum sit sanctis

84.

Propter  
loci condi-  
tionem  
horridus.

D

manibus

manibus ad tam vile pudendumque nebulonum ergastulum amandatos esse.

85.  
Propter so-  
cietatem.

Quid jam de dæmonum, ac damnatorum cum animis societate dicam? etsi enim sine imperio divino, cui reluctari nequeant damnati, nolint pii manes transmeare, non possint ex orco ad orci fauces, neque contra ex faucibus ad illius interiora, tamen loci continuitas, & unum carcerem, & commorantium confortium, & societatem efficit. Quàm autem hæc piis manibus invisa, pudendâque esse debeat, manifestum est, partim ex justissimo eorum odio in dæmones, hominésque damnatos (quippe Dei, suosque hostes) partim ex horum rabie plusquam caninâ in pios manes, quippe Numinis, quod execrantur, imagines & amicos. Si enim mortalibus non admodum sanctis, Deique amantibus gravissimum inest odium in cacodæmones, ac damnatos, adeo ut vel eorum nomen picturâque exhorreant, quantum erit piorum manium in eosdem odium, qui ut cognitione multum præstant mortalibus, sic & amore. Rursus si dæmonum in mortales rabies omnem intelligentiâ nostræ captum superat, quanta erit in pios manes, cum, & de salute suâ securi sint, ac certi de Numinis in se amicitia, & ejus laudes æternum celebraturi; denique tantum non beati! Nimirum quemadmodum odium Dei, fons & origo est diabolici in homines odii, ita quò amplius bonorum divinorum illi possident, quòve certius ea sunt possessuri totâ retro æternitate, eò ardentiore invidiâ diaboli, unâque homines damnati illos infestantur, nam utrorumque eadem hîc ratio est.

86.  
Et odium  
demonis  
in pios  
manes.

Vide Thea-  
trum Bey-  
linck.

Atqui satis hîc nota est crudelis odii indeoles. Notum est Romulum Urbis parentem à Senatu, quem ipsemet in amplissimo gradu collocarat, dirisimè laceratum esse. Pervulgatum est Amanum Amalecitem, Mardochei Judæi odio, edictum Artaxeris, apud quem plurimum poterat, procurasse, quo tota Judæorum gens internecone excindi jubebatur. Refert quoque Bodinus, quemdam Mediolanensem horribile facinus excogitasse, etenim inimicum premens, pugione faucibus admoto, eum se jugulaturum minitatus est, nî Deo renunciaret: renuntiavit, tum renunciare jussit ex animo: & infelix, spe gratiæ, paruit, neque id satis, eandem renunciationem sapius iterare compulit, ac demum eo jugulato, sibi gratulatus est impius, ac perfidus de corpore, animoque inimici se vindictam sumplisse. Quare cum dæmones multo graviore odio animas habeant, quis dubitet quin diris, & impre-

cationibus eas infestent, quin desperire secum pervelint, quin Deum maledictis lacerant, quòd eas à fraudibus suis, ac machinationibus integras, syncerasque præstiterit? Has igitur diras, has in Deum illatas contumelias, id atrocissimum damnatorum in se odium, cum clarissimè intueantur animæ, quàm immaniter, vel inde torquentur! quàm graviter odere perditos illos ofores sui, ac Numinis! quàm acerbè ferunt eadem se cum illis custodiâ constrictos esse.

Sed caput est hoc in genere, atrocissimumque piorum manium tormentum, præ quo cætera joci instar dici possunt, infandam scelerum, quæ orcus evomit, coluviem coram spectare, atque auribus mentis diras omnes percipere. Constat id pronunciatum ex Sanctorum sensis, ac factis. Nam divo quidem Ignatio Societatis JESU Conditori, averni pœnas contemplanti nihil in illis intolerabilius visum est, quàm damnatorum impia in Deum dicta inaudire. Maria verò de Victoriâ spectatissimæ virtutis fœmina, Cœlestinarum Institutrix, cum flagitia perditissimi hominis narrantem audiret, sustinuit illa quidem tantisper; at cum de ejusdem injuriis in Sanctissimam Eucharistiâ dicere cœpisset, vix quatuor, aut quinque verbis super ea re auditis, tum ipsa suspirare ex alto, tum se huc, & illuc vertere, tum non se continere, quin sororem in eâ narratione pergere prohiberet, hisce verbis: *Filia, noli ulterius procedere, quia morior præ dolore*: tum identidem sic exclamare medullitus: *Deum meo tam bonum adeo offensum fuisse!* Quid se sciret, dixissetvé, si orci maledicta in Deum immenso graviora audire illi contigisset!

87.  
Propter  
damnato-  
rum blas-  
phemias.

Sed mirum minimè est hunc Sanctorum hominum fuisse sensum. Christus in Olivetico hortu dum ex tristitiâ ingenti sanguinem ubertim ex toto corpore pluit, non sic ex cruciatuum sibi subeundorum contemplatione afflictus fuit, quàm ex iis, quæ prænoverat sceleribus improbissimæ, ingratisimæque humanæ gentis, cujus causâ erat cruciandus. Ratio est, quòd culpa omnis, cum injuria in Deum sit, consequenter malum sit ejusdem Dei. Nemo autem ignorat illius quantulumcumque malum, propterea quòd Numen infinita Majestatis, ac bonitatis sit, majus esse quantocumque rei creatæ malo, atque adeo quantacumque pœnâ, & quòd ei consequens est, minimam noxam, minimamque Numinis injuriam, maximis, vel orci pœnis pluris æstimandam esse. Christus ergo cum id pernoctaret, minimum delictum suis omnibus cruciatibus pluris faciebat, & cum

88.  
Ratio ab  
exemplo  
Christi.

## Patrocinium Defunctorum. *Lib. I.* 27

& cùm tanta crimina ingratissimorum hominum futura prævideret, scilicet longè majorem ex iis dolorem, tristitiãve concepit, quàm ex notiã instantium sibi tormentorum.

89. Atqui piæ mortuorum animæ, & iudicio, & voluntate cum Christo, sponso suo maximè consentiunt. Maximi itaque ducunt damnatorum contumelias, diràsque in Deum, ac Superos, easque molestissimè, egerrimèque ferunt. Et quidem meã sententiã, Sanctorum mortalium horror, dolorque hujus generis, nullus est ad dolorem illarum. Siquidem si doloris mortalium seges, ac materia spectetur, vel hæc præsens est, vel absens: At scelera, maledictaque in Superos, quibus Sancti interfunt, paucissima sunt; igitur & dolor ex illis rarus, & exiguus sit, necesse est. Sin autem abest ea materia, solòque auditu, aut cogitatione percipitur, compertum est malum absens, etsi gravissimum, parum ferire mentem, nec magis afficere voluntatem. Et ita evenit piis hominibus, averni diras, & contumelias in Deum contemplantibus. Prorsus autem alia est ratio animarum lustrali custodiã detentarum. Nam eas illic vindex Numinis justitiã collocavit, ut aspectu extremæ calamitatis dolorem participarent. Intuentur igitur penitus mentes, percipiuntque sensa dæmonum, hominũque damnatorum, vident acerrimum eorum dolorem, perspectam habent desperationem, execrationemque Numinis, imprecationes infandas audiunt, denique haud scio, an quidquam in orco fiat ad vindictam reorum, ac perduellium, quod eas lateat, & quod inde consequitur. conscias existimo dirarum, contumeliarũque prope omnium, quas dolor illis exprimit.

90. Quare cùm in iis diris situm sit ingens Dei malum (utpote, quia ingens ejus ignis pena jura) & piissimæ animæ magnitudinem il-

lius, atrocitatẽque pervideant, nullatenus ambigendum superest, quin acerbissimum dolorem inde hauriant.

Cæterum vestram hinc potissimum opem imploro, ò mortales! non equidem, ut Danielem quempiam è Leonum famelicorum lacu tollatis: quamquam enim id calamitatis genus maximum est, tamen ad hoc, quod descripsimus liquet esse nullum. Non ut hominem ad bestias damnatum theatro educatis, licet enim nequissimi, hostes infestissimi, aut plerumque homines perniciosi, & immanes, qui ob multiplicia crimina veniã indigni erant, cum bestiis depugnare cogebantur: tamen neque id supplicii cum hoc piorum manium conferri meretur, quemadmodum nec belluæ terrestres cum tartareis ullo modo sunt comparandæ. Et tamen Rex Darius illacrymatus est, dum carum caput, & infontem Danielem Leonibus objectum revisit, & illa ad bestias damnatio meritò inhumana Christianis visa est, & ab Honorio Imperatore prohibita. At supremus, & æquissimus Judex hanc ipsam ad stygias bestias damnationem, debitam vitã functis pœnam censuit, verum facili pretio redimendam. Nonne igitur Christiano peccatore indignum est illud denegare? Est sanè, imò etiam inhumanum, & belluinum dici potest. Quasi ergo non satis esset piis manibus ad stygias illas bestias esse damnatos, nonnulli crudelitate quadam in bestias sese induunt, & ingrati animi, velut unguibus miseros parentum, aut Mæcenatum manes dilaniant. Parcite ò Christiani! & potiùs eorum miseremini. Alioqui enim cavendum ne sicut illi, qui Danielem in Leonum lacum demittendum curaverant, eo jam libero, ipsimet demissi, ac statim devorati sunt: ita vindex Numinis justitiã in lacum illum Purgatorii altè demittat miserimè torquendos,

91.  
*Epilogus ad commiserationem horum ad bestias damnatorum.*

